



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. Deus prædefinivit amnia pietatis opera prædestinatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Catholici. Ergo non est de fide, quod gratia detur in tempore, & preparata fuerit in aternitate præcisè secundum placitum voluntatis divinæ; ita ut huic, & non illi, Deus det in tempore, & prepararit in æternitate auxilia congrua, & cum salute connexa, præcisè quia voluit. Ergo non est de fide, quod detur prædestinatio illa, quam defendimus. R. n. utramque conf. & dico hanc propositionem: Facienti quod in se est ex viribus naturæ non denegatur gratia, continere Semipelagianorum errorem, si ve loquatur de gratia habituali, si ve de actuali, si ve bonum quod fit ex viribus naturæ, dicatur se habere ad collationem gratiæ per modum meriti de condigno, aut saltem de congruo, si ve dicatur se habere tantum per modum dispositionis, aut etiam conditionis sine qua non, vel occasionis, vel removens prohibens tantum. Quod facile ostenditur. Nam qui dicit, facienti quod in se est ex viribus naturæ non denegari gratiam, facit non voluntatem gratiæ, sed gratiam voluntatis pedilequam; docet enim in negotio salutis præire liberum arbitrium, & gratiam sublequi; labori & obedientiæ humanæ gratiam subungi; dari in nobis ex nobis initium aliquod, quo gratia prævenitur; Deum voluntates nostras expectare, &c. Quæ omnia ut fidei repugnantia in Pelagianis & Semipelagianis damnarunt Pontifices, Concilia, & Patres.

Præterea, qui dicit, facienti quod in se est ex viribus naturæ non denegari gratiam, manifestè repugnat 1. Apostolo dicenti Rom. c. 11. *Si gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* 2. Augustino locis omnibus supra relatis. 3. Celestino in citata ad Gallos epist. dicenti c. 7. *Quod nemo nisi per gratiam libero bene utatur arbitrio; & c. 9. Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipsi libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit (per gratiam scilicet) quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* 4. Concilio Arausicano II. damnanti, can. 4. cum qui, *ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit.* Et can. 6. cum qui, *sine gratia Dei conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, &c. nobis misericordiam dicit conferri.* Et can. 7. cum qui, *per naturæ vigorem bonum, aliquod, quod ad salutem pertinet, vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat.* Atque insuper ita docenti, can. 20. *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona (ad salutem scilicet aliquo modo conducentia) quæ non Deus præstat ut faciat homo.* Et can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum, in ordine scilicet ad salutem; hoc est, nemo in ordine ad salutem, absque auxilio gratiæ prævenientis & adjuvantis, quidquam potest, nisi peccando demereri.* Quibus verbis expressissimè damnatur hæc propositio, quam impugnamus. Quare qui eam tuerentur, cum Semipelagianis hæc in re lapsi esse dicendi sunt.

Obj. 3. Solum tenemur credere, Deum gratis dare in tempore, & ita gratis præparasse in æternitate hominibus, ex sincero salutis eorum desiderio, media ad salutem assequendam idonea. Ergo gratuita prædestinatio, quam defendimus, non est de fide. R. neg. ant. Nam tenemur credere perseverantiam esse donum Dei, ac proinde eos tantum perseverare, quibus Deus gratuito præparavit perseverantiam. At credere Deum certis tantum hominibus perseverantiam gratuito præparasse, est credere gratuitam prædestinationem, quam cum Augustino defendimus. Præterea, cum Deus gratis der certis hominibus media cum salute connexa, potius quam alia ad salutem merè sufficientia; ceteris verò der tantum merè sufficientia & idonea ad salutem consequendam, cum posset dare efficaciam, & infallibiliter connexa cum affectione salutis; tenemur credere Deum certis hominibus, & non aliis, gratuito præparasse media efficaciam, & cum salute infallibiliter connexa, potius quam alia merè sufficientia & idonea. At hoc est credere gratuitam prædestinationem, quam defendimus,

& quæ nihil aliud est, quam præscientia & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.

ARTICULUS IV.

Utrum Deus prædefiniverit omnia pietatis opera prædestinatorum.

RESPONSIO.

Deus prædefinivit omnia pietatis opera prædestinatorum.

Prob. ex Apostolo Ephes. c. 2. ubi ait: *Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* In quæ verba sic loquitur 1. S. Augustinus lib. de præd. Sanct. c. 10. *Quod ait Apostolus: Non ex operibus, ne forte quis extollatur; ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis: gratia est. Quod autem sequitur: Quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus: prædestinatio est.* 2. S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 9. *Bona opera nostra Paulus à Domino asserit præparata, hoc est, in prædestinatione disposita.* 3. S. Thomas in verborum Apostoli Comment. *Nihil aliud est prædestinatio, quam preparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur & ipsa bona opera nostra: dicitur autem Deus nobis aliqua præparare, in quantum disposuit se nobis daturum.* Ex his autem sic argumentor. Opera pietatis prædestinatorum fuisse à Deo prædefinita, nihil aliud est, quam ea determinatè & in particulari præordinata fuisse in mente divina, ut media, quibus in tempore dirigerentur prædestinati in salutem æternam. Atqui omnia pietatis opera prædestinatorum, & quidem determinatè & in particulari sumpta, fuerunt ab æterno præordinata in mente divina, ut media quibus prædestinati dirigerentur in tempore ad salutem æternam. Ergo. Major continet notionem prædefinitionis, ut hic à nobis sumitur. Minor verò patet ex autoritatibus allatis. Nam secundum Apostolum, Deus omnia pietatis opera prædestinatorum præparavit in æternitate, ut in illis ambulent in tempore. Secundum Augustinum, Deus ea in prædestinatione sua disposuit. Secundum Doctorem Angelicum, Deus ea se daturum prædestinatis disposuit. Quid autem hæc omnia aliud significare possunt, quam Deum omnia pietatis opera prædestinatorum determinatè & in particulari præordinasse in mente sua; ut media, quibus in tempore dirigeret prædestinatos in finem vitæ æternæ?

Confirm. Prædestinatio est omnium, quibus in salutem æternam prædestinatus dirigeretur, mediorum determinatè & in particulari præordinatio in mente divina existens ab æterno. Atqui omnia pietatis opera prædestinatorum sunt à Deo prædestinata. Ergo sunt determinatè & in particulari præordinata ab æterno in mente divina, ut media salutis electorum. Ergo sunt prædefinita. Major patet ex dictis suo loco de quidditate prædestinationis. Minor etiam constat jam ex allatis supra autoritatibus; & adhuc breviter probatur ex S. Augustino lib. de bono persever. c. 17. ubi loquens de operibus salutaribus electorum, sic ait: *An forte nec ipsa dicunt prædestinata? ergo nec dantur à Deo... Quod si dantur... profecto prædestinavit.* Unde sic argumentor. Omnia Dei dona, ad salutem prædestinatorum conducentia, sunt à Deo prædestinata. Nam, ut dicit S. Augustinus, & post eum S. Thomas, prædestinatio est preparatio beneficiorum Dei, quibus electi liberantur & salvantur; & Deum prædestinasse, nihil aliud est, quam Deum præparasse beneficia, quæ confert electis in tempore, ut liberentur & salventur. Atqui omnia pietatis opera prædestinatorum sunt Dei dona, & ad eorum salutem conducunt. Ergo sunt à Deo prædestinata. Ergo sunt ab æterno in mente divina præordinata determinatè & in particulari. Ergo sunt prædefinita. Quod adhuc

Con-

Confirmatur & declaratur amplius. Datur gratuita prædestinatio, ut accuratè demonstratum est. Atqui gratuita prædestinatio est gratuita harum specie & numero vocationum congruarum, quibuscum, si illas accipiant, electi hæc specie & numero opera pietatis exercituri certò & infallibiliter præsciuntur per scientiam futuribilem, præordinatio & dispositio in mente divina existens ab æterno. Pater ex dictis hætenus. Ergo in mente divina existit ab æterno gratuita præordinatio & dispositio harum specie & numero vocationum, &c. Atqui hoc ipso quòd in mente divina hæc præordinatio & dispositio existit ab æterno, existit ab æterno in mente divina gratuita præordinatio & dispositio horum specie & numero operum pietatis, quibus electi salutem æternam consecuturi sunt, ut pater ex terminis. Ergo re vera gratuita horum specie & numero operum pietatis, quibus electi salutem æternam consecuturi sunt, præordinatio & dispositio existit ab æterno in mente divina. Atqui hæc gratuita horum specie & numero operum pietatis præordinatio & dispositio est eorumdem operum prædestinatio. Ergo re vera omnia pietatis opera prædestinatorum fuerunt à Deo prædestinata. Cum autem manifestum sit ex hoc & aliis superioribus argumentis, operum pietatis prædestinationem esse ipsissimam gratuitam prædestinationem, quam defendimus; sicut fide certum est dari gratuitam prædestinationem, ita quoque fide certum est, omnia pietatis opera prædestinatorum à Deo fuisse prædestinata.

Obj. 1. Prædestinatio est tantum perseverantiæ finalis & auxiliorum gratiæ tam interiorum, quam exteriorum, quibus prædestinatus dirigitur in salutem. Ergo non est operum pietatis. Ergo opera pietatis electorum non sunt prædestinata. Ergo nec sunt prædestinata. *R. N. ant. Probabis ant.* Prædestinatio est præparatio gratiæ. *Inter gratiam,* inquit S. Augustinus lib. de præd. Sanct. c. 10. *& prædestinationem, hoc tantum interest, quòd prædestinatio est gratiæ preparatio: gratia vero jam ipsa donatio.* Et paulò inferius: *Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratia est preparatio: gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.* Ergo, &c. *R. neg. conseq.* Nam hoc ipso quòd prædestinatio est preparatio gratiæ, est etiam præparatio operum pietatis: hoc enim ipso quòd Deus electo præparat has specie & numero vocationes congruas, quibuscum electus hæc specie & numero opera pietatis exerciturus est, præparantur hæc specie & numero opera pietatis: sicut Deus hoc ipso donat electo hæc specie & numero opera pietatis, quòd dat electo has specie & numero vocationes congruas, quibuscum hæc specie & numero opera pietatis exercet. Præterea, cum S. Augustinus dicit prædestinationem esse præparationem gratiæ, per gratiam intelligit ipsam donationem operum pietatis. *Prædestinatio,* inquit, *est gratia preparatio: gratia vero jam ipsa donatio.* Quod itaque ait Apostolus: *Non ex operibus, ne forte quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis: gratia est.* Quod autem sequitur: *Quæ preparavit, ut in illis ambulemus: prædestinatio est.* Prædestinatio igitur ex S. Augustino, est præparatio gratiæ, quia est præparatio donationis operum pietatis, hoc est, gratuita preparatio operum pietatis, quæ donaturus est cum perseverantia finali. Præparat autem opera pietatis & perseverantiam finalem, preparando media, quibus perseverantiam finalem procuraturus est, aliaque tum interna tum externa gratiæ auxilia, quibus opera pietatis est donaturus. Unde prædestinatio, adequatè sumpta, est gratuita preparatio operum pietatis, perseverantiæ finalis, & mediorum omnium, quibus perseverantiam finalem procuraturus, & opera pietatis donaturus est.

Ad præsentis difficultatis pleniorè solutionem, duplex distingui potest gratia: una scilicet, quæ est gratia Dei tantum; & alia, quæ est gratia Dei simul, & meritum nostrum. Prima est ea, quam Deus operatur in nobis sine nobis moraliter & liberè cooperantibus, quales sunt omnes illustrationes & inspira-

tiones divinæ. Secundam operatur quidem Deus in nobis, sed non sine nobis cooperantibus moraliter & liberè. Talis est fides, & quilibet alius actus salutaris. Cum autem Augustinus dicit prædestinationem esse gratiæ præparationem, de utraque gratia intelligendus est, nempe & de gratia, quæ est tantum Dei gratia, & de gratia, quæ simul est gratia Dei & meritum hominis; quod manifestum est ex eo quòd dicit, gratiam, cujus preparatio prædestinatio est, esse ipsam operum salutarium donationem: hæc enim donatio utramque gratiam simul & indivisibiliter significat: cum Deus eatenus donet homini actum salutarem, quatenus gratis per illustrationem & inspirationem suam præparat voluntatem hominis, quomodo illi congruit, ut velit elicere, & eliciat actum salutarem. Sic autem prædestinatio est simul & indivisibiliter preparatio utriusque gratiæ, ut sit principalis & immediatius secundæ, quàm primæ, quia scilicet secunda est ratio preparandi primam: prima enim preparatur, ut sit secunda. Unde prædestinatio non solum est omnium operum pietatis prædestinatorum, sed etiam principalis & immediatius est illorum, quàm auxiliorum gratiæ tum internæ tum externæ, quibus opera illa prædestinato donat Deus in tempore. Porro ex occasione distinctionis expositi, observo obiter repugnare, ut fides sit prima gratia: cum enim ita sit gratia Dei, ut sit etiam meritum nostrum saltem de congruo, & sic eatenus sit gratia Dei, quatenus hominem, tempore aut saltem natura priusquam credat, Deus gratis vocat, quomodo illi congruit, ut velit credere & credat: nam Deus sic, & non aliter, donat fidem: fides semper supponit aliam priorem gratiam, quæ est tantum Dei gratia, nempe vocationem congruam, cujus nomine veniunt auxilia omnia tam interna, quàm externa, quibus Deus gratuito præparat voluntatem hominis ad credendum. Sed ut ad propositum nostrum redeamus,

Dices. Saltem in doctrina nostra Deus in sua eternitate non prædestinat opera pietatis in se, sed tantum in vocationibus congruis, quas præparat, & quibus opera illa prædestinato donaturus est in tempore. *R. neg.* Itaque Deus in sua eternitate prædestinat determinatè & in particulari omnia pietatis opera prædestinatorum non solum in vocationibus congruis, quibus illa in tempore donaturus est, sed etiam in se, Deus enim prædestinat, ut suo loco dictum est, in mente sua disponendo & ordinando media salutis electorum; & hæc media in mente sua disponit & ordinat, non deliberando & discurrendo, sed approbando scientiam suam, quæ prænotio est horum specie & numero operum pietatis, ut futuribilem sub conditione harum specie & numero vocationum congruarum. Sic autem approbando & eligendo scientiam suam, ut sub hac ratione sit causa directiva salutis electorum, simul & indivisibiliter eligit & approbat ut media salutis electorum, hæc specie & numero opera pietatis cum his specie & numero vocationibus congruis; ita tamen ut principalis & immediatius eligat & approbet hæc specie & numero opera pietatis, quàm has specie & numero vocationes congruas, quas scilicet non eligit & approbat, nisi propter hæc specie & numero opera pietatis. Deus igitur prædestinando vult in se hæc specie & numero opera pietatis, quæ, ipso donante per congruas vocationes, electi exercituri sunt: immo vult illa in se immediatius & principalis, quàm congruas illas vocationes, quibus ea electis donaturus est. Ergo maximè prædestinat ea in se.

Obj. 2. Si Deus prædestinavit actus salutes prædestinatorum, prædestinati non sunt liberi circa illos. *R. neg.* Ratio negandi est, quia prædestinatio divina non immutat modum operandi voluntatis circa actum prædestinitum, alligando illam ad alteram partem contradictionis: Nam 1. non immutat per se; cum consistat in actibus vitalibus Deo immanentibus, & ita per se nihil ponat, nisi in Deo. 2. Non immutat per aliud: nam si immutat per aliquid

quid aliud à se, certe per vocationem congruam, quam vi illius prædestinatus accipit, & qua voluntas prædestinati præparatur, quomodo ei aptum est, ut velit producere, & producat actum salutarem prædestinitum. At hoc dici non potest, quia hæc vocatio, quantumvis congrua, verè repudiabilis est, & ex se etiam moraliter componibilis cum negatione actus salutaris, ad quem datur.

Dices. Non potest voluntas prædestinati non elicere actum prædestinitum. Ergo non est libera circa illum. *Neg. ant. Probabis.* Si potest, vel potest non elicere in sensu composito prædestinationis, vel saltem in sensu diviso. Neutrum dici potest. Ergo, &c. *R. n. min.* & dico voluntatem prædestinati posse non elicere actum prædestinitum in sensu diviso prædestinationis actus ut eliciendi ex prævia hac specie & numero vocatione, in hunc finem à Deo præparata.

At inquit. Ergo voluntas prædestinati impedire potest, ne actus suus fuerit prædestinitus. *R.* posse impedire, non quidem simpliciter, sed secundum quid. Non potest impedire simpliciter, quia cum impedire non possit, ne Deus habeat in thesauris scientiæ suæ unum, vel etiam plura media, quibus, quantumvis ex se repudiabilibus, eam ad hunc specie & numero actum eliciendum efficaciter movere possit, non potest omnino impedire, ne actus suus fuerit à Deo prædestinitus, sive non potest impedire, ne Deus prædestinaverit actum ejus ut certò & infallibiliter eliciendum ex prævia aliqua vocatione, quam certò & infallibiliter novit esse habituram effectum, si detur. At, quod sufficit, potest impedire secundum quid, ne actus suus fuerit à Deo prædestinitus: sive potest impedire, ne actus suus fuerit à Deo prædestinitus, ut eliciendus ex prævia hac specie & numero vocatione, qua re ipsa vocatur; quia ita propter rationem allaram, nequit repudiare totam collectionem vocationum, ut possit repudiare singulas, sive ut possit omnes distributive sumptas repudiare: cum nulla sit quæ non sit ex se repudiabilis; ac proinde repudiare possit hanc specie & numero vocationem, qua hic & nunc re ipsa vocatur, & repudiando impedire, ne prævia fuerit effectum habitura, si daretur, atque hoc impediendo impedire, ne Deus prædestinaverit, seu elegerit hunc specie & numero actum, ut à se donandum per hanc specie & numero vocationem. Quo pacto prædestinitio hujus specie & numero actus salutaris verè est in potestate voluntatis, ut non fuerit, non quidem simpliciter, sed secundum quid, quod ad salvandam libertatem planè sufficit. Sic autem hæc voluntatis potestas verè ad actum reducibilis est, ut summa certitudine & infallibilitate non sit reducenda, quia prædestinitio includit præscientiam summè certam & infallibilem, qua Deus summa certitudine & infallibilitate præcitat hanc specie & numero vocationem effectum habituram esse, si detur: unde summa certitudine & infallibilitate vult & eligit hunc specie & numero actum, ut à se donandum prædestinato per hanc specie & numero vocationem; proindeque electio & prædestinitio hujus specie & numero actus salutaris, ut donandi per hanc specie & numero vocationem, summa certitudine & infallibilitate effectum suum sortitura est.

Dices. Prædestinitio necessariam habet connexionem cum actu prædestinito. Ergo actus prædestinitus non potest non fieri, & consequenter necessariò fit. *R. n. conf.* Nam prædestinitio necessariam habet connexionem cum actu prædestinito, quia repugnat ut actus fuerit à Deo prædestinitus, & tamen non fiat. Hæc autem repugnantia non oritur ex eo, quòd prædestinitio vel per se, vel per aliquid aliud à se voluntatem obliget ad alteram partem contradictionis; quo casu actus prædestinitus non posset non fieri, & necessariù esset; sed ex eo quòd Deus prædestinans actum, ut à se donandum per hanc vocationem, non possit falli nec vinci, hoc est, ex eo quòd Deus non possit errare præcitiendo hanc vocationem effectum habituram esse, si detur, nec possit impediri ab executione hujus vocationis, si velit eam exequi. Quo non

obstante, voluntas sub ipsa prædefinitione manet expedita ad utrumlibet, ut potè ad neutram contradictionis partem antecedenter obligata intrinsecè. Unde voluntas sub ipsa prædefinitione, necessariam cum actu prædestinito connexionem habente, potest pro arbitrio ponere vel non ponere actum illum, sic tamen ut summa certitudine & infallibilitate positura sit. *R. 2. dist. conseq.* Ergo actus prædestinitus non potest non fieri, si voluntas neque simpliciter, neque secundum quid impedire possit prædefinitionem, *C. conseq.* Si potest impedire saltem secundum quid, *N. conf.* Potest autem voluntas sic impedire prædefinitionem actus sui, ut explicatum est, & ita tollere omnem connexionem, vi cuius actus ejus posset esse necessarius. *R. 3. etiam sic dist. conseq.* Ergo actus prædestinitus non potest non fieri, & hæc impotentia est antecedens, *N. conf.* Et hæc impotentia est tantum consequens, *C. conf.* Cum enim existentia prædefinitionis non faciat suppositionem simpliciter antecedentem, & planè independentem ab omni exercitio libertatis humanæ; vel, quod eodem redit, cum prædestinitio actus supponat exercitium libertatis humanæ ut futuribile sub conditione talis vocationis, quod penes statum tantum differt ab exercitio libertatis absolute futuro, prædestinitio, quantumvis necessariò connexa cum actu prædestinito, vel nullam affert impotentiam, ut non fiat actus prædestinitus, vel non nisi consequentem, & libertatis exercitium præsupponentem affert.

Dices. Ex suppositione prædefinitionis oritur necessitas. Ergo & impotentia antecedens ad hoc ut non fiat actus prædestinitus. *Ant. patet in hoc enthymemate:* Deus prædestinavit hunc actum: ergo hic actus fiet: in quo consequentia necessaria est, & consequens non potest non esse verum, supposita veritate antecedentis. *R.* oriri quidem necessitatem: sed hæc necessitas non est necessitas consequentis, sed tantum consequentiæ. Est quidem necessitas consequentiæ: nam in hoc enthymemate: Deus prædestinavit hunc actum: ergo hic actus fiet: consequentia non potest non esse bona, & ita consequens non potest non esse verum, supposita veritate antecedentis. At idcirco non est consequentis necessitas, sive non idcirco consequens necessarium est, quia suppositio antecedentis non est suppositio simpliciter antecedens, & planè independentem ab exercitio libertatis humanæ. Cum enim prædestinitio hujus actus non sit aliud quàm scientia futuribilium approbata, quæ est prænotio hujus actus ut futuribilis sub conditione talis vocationis, hoc est, quæ Deus per illam prænovit voluntatem humanam sub tali vocatione, si detur, hunc actum esse producturam; in hoc enthymemate: Deus prædestinavit hunc actum: ergo hic actus fiet: suppositio prædefinitionis non est aliud, quàm suppositio scientiæ futuribilium approbata, quæ prænotio est, &c. & consequenter suppositio alicujus præsupponentis exercitium libertatis humanæ ut futuribile sub aliqua conditione, quod non nisi penes statum differt ab exercitio libertatis absolute futuro. Unde hæc suppositio sic est in potestate voluntatis humanæ, ut eam tollere, aut saltem aliqua ratione impedire possit: non est igitur suppositio simpliciter antecedens, & omnino independentem, sed aliquo modo consequens. Itaque in hoc enthymemate: Deus prædestinavit hunc actum: ergo hic actus erit: veritas antecedentis ob necessariam connexionem, quam habet cum veritate consequentis, quia Deus nec falli, nec vinci potest, facit necessitatem consequentiæ, seu facit consequentiam esse necessariam: at non facit necessitatem consequentis, seu non facit consequens esse necessarium, quia consequens non potest esse magis necessarium quàm antecedens. Antecedens autem sic est, ut posset non esse. Ergo consequens sic erit, ut posset non esse. Item in potestate libertatis humanæ est, ut antecedens non fuerit. Ergo in potestate libertatis humanæ est, ut consequens non sit. Ex hoc igitur enthymemate: Deus prædestinavit hunc actum: ergo hic actus erit: supposita veritate antecedentis, non

non alia necessitas habetur, quam consequentia, sive non aliud habetur, quam quod consequens non possit non esse verum, supposito quod antecedens verum sit, quam quod consequens non possit esse falsum in sensu composito antecedentis, quamvis possit esse in ejus sensu diviso; & ita minimè sit necessarium, quia sensus divisus verè est in potestate voluntatis, cujus actus à Deo prædefinitus est sic, ut possit potentia verè reducibilis, licet certissimè non reducenda, facere ut non fuerit prædefinitus, non quidem simpliciter, quod ad salvandam libertatem non requiritur, sed quod sufficit, secundum quid modo jam explicato.

Obj. 3. Idem judicium esto de omnibus actibus salutariis, ac de actibus poenitentiae. Atqui Deus non prædefinit, imò nec prædefinire potuit actus poenitentiae prædestinatorum. Ergo, &c. N. min. *Probabilis.* Si Deus prædefinit actus poenitentiae prædestinatorum, prædefinit etiam eorum peccata: nam nisi peccent, actus poenitentiae exercere non possunt; cum poenitentia peccatum essentialiter supponat. Impium conf. Ergo, &c. R. neg. seq. maj. Quamvis enim poenitentia locum habere non possit, nisi post admissum peccatum, ad prædefiniendos actus poenitentiae v. g. Petri, nullatenus necesse fuit, ut peccatum ejus prædefiniretur, sed satis fuit ut Deus vellet illud permittere. Ad hoc enim ut Deus prædefiniret actus poenitentiae Petri, satis fuit, ut ipse vellet, quod ex parte ipsius requirebatur ad hoc, ut Petrus actus poenitentiae exerceret. Ex parte autem Dei requirebatur tantum, ut vellet ejus peccatum permittere, & postea eum movere & excitare, quomodo ei futurum erat congruum, ut à peccato resurgeret, & pro peccato satisfaceret. Supposita enim ex parte Dei voluntate permittendi peccatum Petri, & postea eum movendi & excitandi, quomodo ei futurum erat congruum, ut à peccato resurgeret, & pro peccato satisfaceret, certò & infallibiliter futurum erat, ut Petrus ex libera voluntatis determinatione peccaret, & postea de peccato doleret, illudque detestaretur, & alia omnia, quae pro peccatorum satisfactione poenitentes solent facere, faceret. Ad hoc igitur ut actus poenitentiae Petri prædefinirentur à Deo, nullatenus necesse fuit, ut ab eo prædefiniretur ipsum Petri peccatum, quod, supposita ex parte Dei sola illud permittendi voluntate, ex solius voluntatis Petri vicio certò & infallibiliter futurum erat.

Sed ad pleniorè præsentis difficultatis resolutionem, observa ex doctrina hæcenus tradita, 1. Deus per scientiam futuribilium præcivit, quid Petrus facturus esset sub tali serie rerum & gratiarum, hoc est, quod peccaturus esset, deinde à peccato resurrecturus, & in his determinatè & in particulari actibus poenitentiae aliarumque virtutum usque in finem perseveraturus, atque ita tot gloriæ gradus promeriturus. 2. Ex voluntatè absoluta & efficaci, ut Petrus tot consequeretur gradus gloriæ, pro eo approbavit scientiam suam quâ talis rerum & gratiarum serie prænotionem, & approbando disposuit & præparavit ei in mente sua talem mediorum salutis ordinem. 3. Sic approbando pro Petro scientiam suam quâ prænotionem talis rerum & gratiarum seriei, voluit & elegit ei hos determinatè & in particulari actus pietatis, & inter illos hos poenitentiae actus, ut à se illi donandos per hæc determinatè & in particulari auxilia gratiæ congrua, post admissum ab illo peccatum, Deo non impediante lapsum ejus per alia anteriora congrua auxilia, sed solum dante ad vitandum lapsum merè idonea ex intentione sincera ut vitetur, & simul efficaci, ut lapsu non vitato, hi specie & numero actus à Petro ex occasione peccati exerceantur, donante Deo. Vides actus poenitentiae Petri à Deo prædefinitos esse, non prædefinito ejus peccato, sed e contra sincerè nolitò à Deo, licet non efficaciter, & sic permisso. Quod laudabiliter facere potuit Deus, tum quia non tenetur impedire peccata nostra, sed potest nos in nostro relinquere arbitrio, ut eo rectè utamur vel malè, prout volumus; tum ad ostensionem divitiarum misericordiæ suæ, & in laudem gloriæ gratiæ

suæ. Quibus verbis occurritur difficultati ulteriori: nam querenti quare Deus pro Petro elegerit hanc rerum & gratiarum seriem, in qua peccaturus erat, & postea à peccato resurrecturus, potius quam aliam in qua nunquam erat peccaturus graviter, & tamen totidem gloriæ gradus promeriturus erat, respondeo, 1. nulla ratione Deum obligari potuisse ad eligendam secundam: cum etiam potuerit, non quidem ex intentione damnandi Petrum, quod divinam bonitatem dedeceret, sed ex intentione tantum conditionata illum salvandi, eligere aliquam, in qua peccaturus graviter, & à peccato nunquam resurrecturus fuisset. 2. Primam convenientissimè eligere potuisse, & elegisse, ut in peccatoris conversione, & salute procuranda, misericordiæ suæ divitiis magis ostenderet, magisque gratiæ suæ beneficia commendaret.

Obj. 4. Deus in Scripturis sæpe queritur, quod tam pauca, & tam remissa pietatis opera fiant ab hominibus, & hæc querela non solum in reprobos, sed etiam in prædestinatos cadit. Atqui si Deus omnia & singula pietatis opera prædestinatorum prædefinit, non potest nisi irrisoriè conqueri de paucitate & remissione operum pietatis, quæ fiunt à prædestinatis: quia si Deus omnia & singula pietatis opera prædestinatorum prædefinit, prædestinati faciunt omnia pietatis opera, quæ Deus vult ab illis fieri, & cum ea perfectione, quæ vult ab illis fieri. Ergo, &c. R. n. seq. min. *Ad prob. R.* prædestinatos omnia quidem pietatis opera facere, quæ Deus efficaciter vult ab illis fieri, & cum ea perfectione, quacum Deus efficaciter vult ab illis fieri: at plura alia, saltem regulariter loquendo, omittunt, quæ possent facere, & Deus sincerè vult ab illis fieri; aut ea, quæ faciunt, & à Deo prædefinita fuerunt, non tam perfectè faciunt, quam Deus sincerè vult ab illis fieri. Raro enim contingit, ut etiam quando gratiæ consentimus, secundum totam virtutem gratiæ velimus & agamus, & ita raro contingit, ut tantum perfectionis habeant nostra pietatis opera, quantum habere possent. Quod ut plenè intelligas, observa Deum prædestinatis ex voluntate partim efficaci & absoluta, partim conditionata tantum, sed tamen sincera ut tot gloriæ gradus promereantur, eligere eam mediorum salutis seriem, in qua non solum hæc specie & numero auxilia gratiæ congrua accepturi sunt, quibuscum certò & infallibiliter facturi sunt hæc specie & numero opera pietatis, (quamvis ordinariè non cum tanta perfectione, quanta possent) & faciendo tot saltem gradus gloriæ promerituri; sed etiam multa alia ad bene operandum idonea, licet non efficaci, quibuscum, si vellet, multa opera salutaria facerent, & faciendo non solum majorem Deo gloriam intrinsecam procurarent, sed etiam meritum suum augerent, & augendo majorem sibi promererentur gloriam. Quæ cum opera non faciant, quia nolunt facere, justam Deo de illis conquerendi causam præbent.

ARTICULUS V.

Utrum Deus prædestinatos elegerit ad gloriæ ratione prius, quam eos prædestinavit.

RESPONSIO.

Deus voluntate absoluta & efficaci voluit gloriam prædestinatis omnibus ratione prius, quam eos prædestinavit.

Prob. Electio mediorum, ut mediorum, supponit intentionem finis: media enim, ut media, non appetuntur nisi propter finem præintantum: proindeque electio mediorum, certò & infallibiliter connexorum cum assecutione finis, supponit absolutam & efficacem intentionem finis. Certè si media non appetuntur, nec appeti possunt, nisi propter finem præintantum, manifestum est ea non appeti, nisi secundum modum, quo finis præintenditur, sic ut non appetantur media certò & infallibiliter connexa cum